



Disputatio juridica inauguralis ad Legem Rhodiam de jactu

<https://hdl.handle.net/1874/345216>

14.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
A D

LEGEM RHODIAM DE JACTU,

^{Q V A M}
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiae Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicus consensu, & Nobilissime
Facultatis JURIDICÆ Decretō,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subjicit

JOHANNES à NEURENBERGH, Dordrac. Batav.

Ad diem 24. JUNII, hora locoq[ue] solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academix
Typographi, cīc Ioc xcii.

Amplissimo Consultissimoque VIRO
D. D. JOHANNI à NEURENBERGH,
Civitatis Dordracenæ Scabino, ac Consiliario experientissimo, ibidemque Quæstori vigilantissimo, ad Concessum Nobilissimorum & Præpotentum, Hollandiæ & West-Frisiæ Ordinum, aliquoties delegato.
Patruo suo plurimum venerando colendo.

U T E T
Spectatissimo Clarissimoque VIRO,
D. D. LUDOVICO à NEURENBERGH,
Reipublicæ Dordracenæ Tribuno plebis, Hollandiæque Meridionalis Tribunalis Scabino, Patruo suo Charissimo in æternum colendo.

N E C N O N
Reverendo VIRO,
D. D. DIDERICO VAN NOOY,
Patruo suo nunquam inter morituro amore prosequendo.

A T Q U E
Doctissimo Celeberrimoque VIRO,
D. D. FRANCISCO DIBBETZIO,
Verbi Divini in Civitate Tholana Præconi fidelissimo, Avunculo ac tutori suo digna semper reverentia observando, honorando.

Inauguralem hanc Disputationem suam ut &
se ipsum devoto pectore offert

cultor devotissimus

JOHANNES à NEURENBERGH,
Auct. & Resp.



PROOEMIUM.

Si verum sit quod Proæmia aliquando nos lubentius, ad propositæ materiæ lectionem alliant, majoremque intellectum præsent; non frustra hoc Proæmio præmissæ possem dicere, me materias Juridicas (quarum unam ex recepto in Academia more, pro Gradu Doctoratus disputaturus, elegisse necesse habui) incertamente diu spectasse, partim quia commodissimam mihi toto juris Oceano excerptere non poteram; partim quia paucæ imo fere nullæ supersunt, quæ jam dudum Disputationi publicæ non fuerunt submissæ, adeo ut illud Terentianum quidem verum sit. Quod nullum jam dictum est quod non sit dictum prius: attamen quia pro Laurea Doctorali in utroque jure consequenda, aliqua mihi eligenda esset & defendenda juris materia; præ-

cæteris mibi arrisit hec de lege Rhodia de jactu
ejusdemque effectibus, quam pro Inaugurali hac Di-
sputatione breviter explicare proposui. Romani
cum rati essent populis devictis non solum, sed &
Reipublicæ leges imponere, etiam post bene mora-
tam & legibus constitutam Rempublicam, à de-
bellatis & aliis Graciæ civitatibus optime mora-
tis aliquando & leges & mores adsciscere, ad
hoc occasionem inter alias maximam præbuit Rho-
dos, quæ portubus olim & viis & mænibus, &
reliquis cum Colosso ornamentis tantopere cæteras
superavit ut nulla putaretur æqualis, legum præ-
stantia, studiis liberalium artium & imprimis
oratoriæ facultatis & denique navalis rei peritia
adèò valuit, ut multis annis maris imperio poti-
retur, qua de re bene nobis refert illud Volusius
Mæcianus ex lege Rhodia Imperatoris Antonini
rescriptum quo legem Rodiam mari præesse jube-
bat. (Cum igitur in hac nostra Florentissima
Republica, ut olim in Rhodo, tam eximius clা-
reat Mercatorum usus, ea de causa hanc inter
infinitas alias materias in me suscepitam pro inge-
nii nostri tenuitate, paulo latius pertractandam
in animum induximus, ut autem bono ordine pro-
cedamus de ejus nomine & origine pauca præmit-
temus.

DIS-

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

A D

Legem Rhodiam de Jactu.

THEISIS I.



Ex Rhodia dicta est ab insula & civitate Rhodo, sita in mari Licio Cariæ propinqua quæ & loci opportunitate & operum nobilitate, navigandi solertia, navalibusque victoriis & amicitia ac societate populi Romani celebrata est teste Gell. lib. 7. cap. 3. cuius potentia navalis ad Ciceronis ætatem duravit ut vide-re est in ejus oratione *pro I. manilia*, cum autem in ea navalium copia & numerus mercatorum ac commerciorum esset frequens, multæque oriuntur lites ac discordiæ, inter varias leges, hæc lex Rhodia de jactu lata est; quia cavebatur ut si levandæ navis gratia jactus mercium factus sit, omnium contributione farciatur quod pro omnibus datum est *I. 1. ff. b. t.* æquissimum enim est commune fieri detrimentum eorum qui propter amissas res aliorum consecuti sunt ut merces suas salvæ habeant *I. 2. ff. b. t.*

A 3

II. Hæc

6 A DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Hæc contributio communiter & generali nomine Barbaro vocabulo Nostratisbus aliarumve Europeæ gentium navalii jure avaria sive havaria dicitur vulgo *Haverepi*: unde dicta sit vix constat, quidam volunt ab Alpha privativa & Bēpō onus, alii derivari volunt à verbo *Haven* of *Haven-recht*, quod portum seu ejus jus denotat, quasi dicas id per quod navis cum mercibus salva in portum redacta est. *Ut Boxbor. differit. ad Arnol. Vin.*

I I I.

Demoribus & praxi porro notandum quod avaria illa alia sit communis, alia grandis; avaria communis est simplex contributio communium impensarum extra jaustum, veluti (1.) pecunia quæ pescatoribus aut aliis personis locorum gnaris à magistro navis datur ut navem in periculo constitutam cum mercibus salvam in tuto deducant; modo non excedat sex librarum Flandricarum summam quæ alias etiam avariae grossæ annumeratur. *ex placit. Philip. 2. ult. Octob. 1563. tit. 9. in fine.* (2.) Pecunia quæ à magistro navis solvit dum prætervehuntur arces fluminibus aut portubus interjacentes. (3.) Pecunia quæ erogatur pro navibus è fluminibus vel portubus educendis. *Vide Weytzen. tract. de avaria.* Grandis autem avaria est contributio facienda ob merces jaestas levandæ navis gratia, etiam ob res cæsas, si armamenta navis malus antennæ anchoræ dejiciantur & cædantur: in

in hac autem contributione ipsa navis venit, sed si tota
navis perierit, damnum non resarcitur l. 6. ff. b. t.

I V.

Ut autem contributioni locus sit, requiritur ut merces jactæ sint ad alias merces servandas l. 1. l. 2. ff. b. t. ut ja^ctus fiat ex necessitate vel præsentis, vel futuri, periculi, & tunc locum sibi vindicat contributio si possit probari id esse factum ob periculum & justum metum: nam ex vano & meticulofo non præstatur sed oportet ut adsit justus & probabilis naufragii metus l. 2. princ. §. 2. eod. qui in constantissimum virum cadere potest. l. 5. & 6. ff. quod metus causa. Cum autem magister aliquid de suo dejicit & facit id justo metu ductus ut merces aliorum quas vehit servet, nulla facienda est collatio l. 2. §. 1. ff. b. t. si vero vectores consentiant licet non sit probabile periculum, tamen tenentur l. 2. §. 1. eod. tit. Ja^ctum facere foli magistro competit, ita tamen ut ipsi non liceat proprio motu, quantumvis laborante navi, mercium ja^ctum facere, malumve aut aliud instrumentum cædere, nisi re prius cum mercatore ejusve institore quantum tempus patiatur communicata si quidem in navi sint, aut iis absentibus & prænimia avaritia consentire nolentibus, vel sine causa ja^ctum non permittentibus, integrum erit magistro ex communi majoris sociorum navalium partis consensu pro ut statuta vel consuetudines cujusque loci exigunt de bonis ja^ctum facere (quippe quibus ut in arte sua peritissimis, & hujusmodi rerum majorem experientiam habenti-

bus

8 DISPUTATIO JURIDICA

bus non est deneganda fides *l. 17. Cod. de re jud.* & *l. 1. de vent. inspic.* qui ex itinere reversi una, cum magistro navis præstito juramento asseverare tenentur factum id esse ex urgente necessitate consilioque adhibito ; quod moribus observatur. *placit. Philip. 2. tit. van Schip-bœuct art. 4.* Tenetur etiam quo ad ejus fieri possit curare ut earum rerum fiat jactura quæ gravioris sunt ponderis & vilioris pretii ne extra necessitatem mercatores onerentur *Grot. introduct. ad Jusrusprud. lib. 3. cap. 29.*

Quod si navis magister culpam in jactu faciendo admisit actione locati tenetur, si mercium amissarum domini merces suas vehendas locaverint ; non conducta navi ; sin autem totam navem conduixerint, actione conducti. *l. 2. ff. b. t. & l. ult. §. 1. ff. b. t. teste etiam Fabro.* Si dolum & latam culpam adhibuerit, ut si plus justo navem oneraverit, lege Aquilia potest conveniri, *arg. l. 9. §. 5. ff. locat. & l. 27. §. 5. ff. ad L. Aquil.* neque liberatur opponendo id evenisse culpa nautarum, quia æque reus est quod opera malorum & minus fidelium hominum usus fuerit, quorum fidem & industriam rei nauticæ non prius exploraverit *l. fin. §. 4. ff. naut. caup. stab.* cum ex jactu facto jactata affluunt & recipiuntur, & nullum damnum videtur factum, ex jactu ad aliorum merces salvandas nihil resarsiendum paulus respondet in *l. 2. §. penult ff. b. t.* & exonerari collationem, sed quod tamen impensum est in recipiendis contribuendum venit *arg.*

arg. l. 1. § 2. ff. b. t. si autem facta sit collatio, & res postea repertæ sunt, forte ad littus expulsæ per urinatores extractæ, tum ii qui solverunt agent ex locato cum magistro, ut is ex conducto experiatur & quod exegerit reddat *l. 2. §. penult. b. t.* de consuetudine maritima volunt vectoribus dari actionem in rem contra convectores, ut post Weytzium docent *Ant. Matth. Wissenb. Disp. 14. th. 8.*

V I.

Hinc quæri solet, si navi aliquid acciderit extempestate ut facta sit deterior vel exarmata armis suis vel malo, antenna, rostro spoliata sit, conservatæ tamen merces sunt, & nihil earum periit tempestate, an tum locus sit contributioni & collationi, & an hoc damnum à mercatoribus quorum merces servatæ sunt magistro navis resarcendum est. Paulus calistratus Julianus respondent in *l. 2. §. 1. § 5. l. 5. §. 2. l. 6. b. t.* nullam collationem faciendam esse nullamque contributionem, quia hic sumptus magis instruendæ navis quam servandarum mercium causa factus est *l. 6. ff. eod.* tum etiam quod dominus accipiat mercedem pro isto periculo, hoc Jurisconsultus probat per similitudinem ut, & si Faber in cudem vel malleum fregerit, non imputetur illi qui opus locavit *l. 2. §. 1. ff. b. t.* additur ibidem excepto ut, si voluntate vectorum damnum factum sit, hoc ipsum resarciri debat *l. 3. b. t.* idem observandum si communi voluntate mercium servandarum causa nauta navem in littus impegit, quod etiam mores sequuntur *l. naut. Philip. 2. tit. van Schip-hreuck art. 4.*

B

VII. Si

10 DISPUTATIO JURIDICA

V I I.

Si à piratis navis capta sit & quod pro redimenda ea data est, an in avariae contributionem venire debet, queritur. Quod affirmat *Juriscons. in l. 2. §. 3. ff. b. t.* quod secus obtinet si prædones aliquid abstulerint ex mercibus alicujus, qui merces suas redemerit dicto §. 3. b. t. ratio est quia hoc damnum voluntarium non est, nec omnium causa datum, quod inspici debet, ex eadem ratione etiam si prædo, persuadente nauta, has potius quam illas merces abstulerit quod eo nomine ablatum est in contributionem venit, quia id factum est ut reliquæ merces serventur *arg. d. l. 2. pr. b. t.* quod & dicendum si sublevanda navis gratia ut flumen vel portum subintret, merces in scapham trajectæ fuerint & illæ perierunt nave adhuc salva ex saepius dicta ratione, licet è contrario si nave perdita salva fuerit scapha non sit habenda ratio earum quæ cum navi perierunt: quia jactus non venit in tributum nisi salva navi *l. 15. ff. b. t.* in cuius legis paragrapho ultimo alius casus proponitur ut si alicujus merces ejectæ sint, alterius salvæ quidem manserint ratione substantiæ, sed deterioratæ, an ille contribuere teneatur. Ubi distinguitur, an ob jactum mercium res sint nudatae, quæ antea testæ erant, & sic damnum acceperint, an vero aliunde deterioratæ sunt, quod forte in angulo latitaverint & mare penetravit ad eas: priori casu *JCtus* respondet contributioni locum esse, ita tamen ut deducatur illud quanto res propter deteriorationem minoris facta est, ex gr. ut si res quæ valebat viginti per deteriorationem tantum.

tantum valebat decem ut tunc tantum pro decem contribuere teneatur. Posteriori casu autem conferre debet sed spectato prætio rerum præsente quia damnum casu fortuito adscribendum est. *d.l.4. §.2. ff. b.t.*

VIII.

Hac occasione inter Doctores disquiri solet, an res jactæ quæ ad littus appulerunt fiant accipientis, quod omnino negandum putamus, cum ita res suas projectantes maneant earum domini, cum ut ait Julianus in *l.8. ff. b.t.* qui levandæ navis gratia projiciunt res suas, non habeant hanc mentem ut eas pro de relictis habeant quippe si inveniant eas ablaturi, nam cum subsit causa levandæ navis, non potest præsumi animus abjiciendi, nihil obstante *l.43. §.11. ff. de furtis* ubi dicitur plerumque animo derelinquendi eas jactas cum sciantur perituræ, secus, si alia subsit causa ut recte persequitur Jurisconsultus. Manent igitur res dominorum quia afflictis non est addenda afflictio *arg. l.14. ff. de officio præsidis, l.28. Cod. Epis. audient.* & ut bona naufragorum iis conserventur, nec fisco cedant æquissime constitutum est. *Auth. nav. Cod. de furtis l.1. Cod. de naufr.* ubi eleganter Imperator, *quid enim jus, inquit, habet fiscus in aliena calamitate ut de re tam luctuosa compendium sectetur?* Ut merito improbetur consuetudo eorum locorum ubi bona naufragorum tempestate ejecta & in littore inventa fisco cedunt ut in mari Baltico obtinet. *Vid. Leww. cens. for. lib.2. cap.3. §.15.*

I X.

Hinc pergit Jurisconsultus in *L. 4. §. 4. ff. h. t.* si ja-
ctata in mare per urinatores recipiantur exonerari col-
lationem quamvis navis post jaectum perierit sufficit
enim negotium in jaectu semel utiliter gestum esse, li-
cet effectum adeo plenum non habuerit, secundum
Ulpianum in L. 10. §. 1. ff. negotiis gest. ut aliorum
merces existentes, licet facto urinatorum, subjectæ
sint oneri contributionis: cum si jaectæ merces aliorum
non fuissent perditæ per naufragium potuissent reci-
pi per urinatores. Ex adverso qui jaectum fecit, rebus
fuis per urinatores receptis, aliis postia naufragis con-
ferre non cogitur, quum eorum merces non videan-
tur amissæ navis levandæ nec servandarum mercum
causa quæ jam jaectæ sunt. Vide *Zoesium ad h. t.* Ex
eadem ratione res est expedita in quæstione illa si ja-
ctura facta sit, & ex ea navis sit conservata postea quæ
rursus in periculum venerit ut jam denuo cogantur
bona ejicere, quo jaectu navis rursus salva mansit, hæ
merces quæ in primo naufragii periculo jaectatæ pe-
rierunt, postea denuo ob periculum jaectura fit, quæ
in posteriori periculo jaectatæ sunt merces per urinato-
res extrahuntur & in portum transportantur, an hæ
salvatæ merces contribuere debeant, primis deper-
ditis, quæritur? quod affirmandum puto per expref-
sum textum in *L. 4. §. 1. ff. h. t.* nave autem amissa una
cum mercib[us], naufragioque facto cessat contributio,
cum nihil factum sit servandæ navis gratia, ut nec ipsa
salva mansit. Si autem ante jaectum vel in ipso jaectu
naufragium fiat, eo casu quod quisque ex navis suum

ser-

servare potuisset , sibi servare tanquam ex incendio re-
spondet JCtus paulus in l. 7. §. 4. ff. b. t. neque per-
ditæ navis neque mercium damnum collationis con-
sortio resarcitur , per eos qui merces suas naufragio
liberarunt l. 5. ff. eod. quod hodie etiam moribus ob-
tinet. *Weytzen. tract. de avar. artic. 33.*

X.

Hactenus vidimus quid sit jactus , quid contribu-
tio , & quando locum habeat , nunc restat ut videa-
mus quomodo illa contributio & quarum rerum sit in-
stituenda scil: prorata portionis ejus quod quisque in
navi habuit ; portio autem pro æstimatione earum
quæ salvæ & earum quæ amissæ sunt præstari solet ,
nec refert si hæ quæ amissæ sunt pluris venire pote-
runt , quoniam detrimenti non lucri sit præstatio , sed
quarum nomine conferendum est , æstimatio debet
haberi , non quanti emptæ sunt , sed quanti venire
possunt l. 2. §. 4. ff. b. t. ratio est ut damnum quantum
fieri possit minuatur , & lucrum amplius propagetur :
fatis enim abundeque dominis amissarum mercium
esse debet quod ex earum jactura nullum damnum sen-
tiant , nisi quantum sentirent si alienæ merces fuissent ,
id est detraæto eo quod illi ipsi pro sua parte
conferunt , quæ collatio tanto minor est quanto mi-
noris amissæ res æstimantur : at è contra salvæ merces
æstimamus non formaliter earum pretio quomodo Ul-
pianus loquitur l. 63. pr. §§. 2. inf. ff. ad legem fal-
cidiam , id est quanti emptæ sunt & venditæ sed
quanto pluris venire possunt , non ut dominis earum

14 DISPUTATIO JURIDICA

mercium faveatur, sed iis potius qui suas amiserunt & pro quorum indemnitate collatio fit, ut tanto plus hi conferant majoreque collatione onerentur in solatium miserorum qui jaēturam passi sunt teste *Fabro ad b. t.* quæ æstimatio sumenda est pro communi, non de immoderata quæ forte per stolidum emptorem possit offerri, ut merces deterioratæ & salvæ non pluris sint æstimandæ quam pro ut nunc sunt *d. l. 4. §. 2. ff. b. t.*

X I.

Venditionis pretium interpretes quidem deducere volunt *ex l. nav. Phil. 2. Anno 1593. tit. van Schipbreuch contra dictam leg. 2. §. 4. ff. b. t.* tam super ejus etis quam salvatis mercibus, detraetis prius vectigalium ac reliquorum sumptuum impensis, additoque ipsius navis pretio aut integra nautarum mercede, pro ut navum exercitores quibus ea actio datur arbitratu boni viri interveniente elegerint quam distinctionem etiam sequitur *Grotius lib. 3. cap. 29.* quod non videtur unquam usu receptum nisi sub hac solummodo distinctione, ut si jaētura mercium facta sit, antequam dimidium cæpti itineris fuerit perfectum, amissæ merces quanti emptæ sunt æstimentur, si vero dimidio itineris superato jaētus fiat ejus prætii æstimatio ineunda est quo venditæ fuissent loco destinato *vid. Leuwen. cens. forent. lib. 4. cap. 29. Weytzen. tract. de avaria parag. 22.* recte etiam subnegetur pecuniarum æstimationem venire, juxta intrinsecum valorem non ad exstrinsecum & imposititum *Weytzen. §. 23. Grotii*

Grotii introd. lib. 3. cap. 26. versu *Emunt* *est qui-*
bis ita æstimatis quisque pro rata mercium & bono-
rum tam amissorum quam servandorum computanda,
æqualiter ad damni restitutionem tenetur , adeo ut
nec ipse dominus mercium amissarum ejusdem contri-
butionis aut defalcationis patiendæ immunis sit , sed
ipse in proprii sui damni collationem pro rato tene-
tur l. 3. §. 2. ff. b. t. Loccen. de jure maritimo lib. 2.
cap. 1. num. 8.

III.

XII.

Hæc æstimatio & distributio mercium facienda est
 à nautis & mercatoribus hujus rei peritis & neutri parti
 addic̄tis *l. nauf. Philip. 2. tit. van Schip-brueck.* Quem-
 admodum omnes controversiæ nauticæ de quibus
 certe iure nihil cautum est , aut de quibus nulla lex
 lata est delegantur prudentiæ ac intelligentiæ nauta-
 rum & mercatorum , quorum judicio statur : sed quid
 si de mercium jactarum qualitate numero aut quanti-
 tate non constet , an standum sit juramento aut ejus
 affirmationi cuius res sunt , an potius sibi imputare
 debeat quod ante jactum mercium fuarum pretium
 testato non exposuerit ? Affirmatur prius ex iis quæ
Peckius notat. ad l. 2. §. 3. ff. b. t. verum hodie cum
 omnes merces publicæ annotentur ut certum porto-
 rium pro qualitate & quantitate exsolvatur , & omni-
 um mercium descriptio & qualificatio contineatur
 instrumento natici contractus (*nostratisbus cognoscen-*
ment) vix est ut habeat locum ut notat *Vinnius in*
obseru. suis. Accidit etiam si ex vectoribus quis in ci-
 fisis

16 DISPUTATIO JURIDICA

stis suis aut sarcinis , nummos , aurum argentum gemmas vel alias res pretiosas habeat ; id indicare magistro tenetur , antequam jactus fiat , alias in computanda damnorum contributione earum non erit habenda alia ratio quam si tales cistæ aut sarcinæ fuerint , quales extrinsecus apparebant *l. naut. Philip. 2. tit. 5.* van Schip-bzeuch.

X I I I.

Conferunt hic omnes sine ullo discrimine , quorum interfuit res salvas , etiam illi quorum merces jactæ sunt qui si non contribuerent nullum damnum patrarentur itaque ipse dominus navis pro portione obligatus est *l. 2. §. 2. b. t.* & non tantum res vestibiles sed etiam quæ non videntur navem onerare , ut gemmæ , Margaritæ , aurum , argentum , & similia in hanc contributionem veniunt , non exclusis etiam corporibus servorum , quia æque ut merces vendi possunt & aestimationem recipere *tot. tit. Cod. si serv. expor.* excipiuntur illi qui laborante navi in mari perierunt , quorum præmium contribui non debet quia hoc damnum casu fortuito accidit eodem modo ac si ægri in nave decessissent aut in mare se præcipitassent *l. 2. §. 5. ff. b. t.*

X I V.

Ab hac contributione etiam excluduntur liberi homines , quorum sicuti nec libertatis ita nec corporis aestimatio fieri potest *l. 106. de reg. juris* , notissima enim est

est regula, liberum corpus nullam recipit aestimationem l. 3. si quadrup. paup. suiss. dic. quod paulus etiam affirmat in l. 2. §. 2. h.t. moribus constitutum est l. nav. ut si quis in ministerio navis, tempestate, vel certamine contra hostes vel piratas Iesus vel occisus fuerit, hujus damni reparatio cum mercede, vetura sumptibus sepulturæ computanda sit in communi contributione navis & mercium pro boni viri & hujus rei periti aestimatione l. nav. Carol. 6. & Philip. 2. tit. van Scherp-lieden art. 28. Porro à contributione immunia sunt ea quæ consumendi causa in navi posita sunt, quo in numero sunt cibaria eo magis quod si quando ea defecerint in navigatione quod quisque habet in commune conferat, l. 2. §. 2. inf. ff. h.t. & Grot. de J. Bel. & pac. lib. 2. cap. 2. §. 5. nec etiam is qui non est dominus navis nec ulla res in eam immisit, sed cui fænere nautico contracto ea fuit pignori obligata contribuere tenetur jactu facto, secundum vulgatum paremum bodemerii is geen ~~habaret~~ subject ut nec ille qui accepto pretio securos periculi esse jubet mercatores navem onerantes vulgo dictus een Assurder ne duplici onere gravetur qui simplex tantum commodum percipit arg. l. 4. §. 2. lit.

X V.

Coronidis loco adjicere libet an merces in navem illatæ pro contributione magistro, tacito pignoris jure, teneantur, ut prælationis jure gaudeat? quod negandum putamus quia nullo textu directe probari potest pro ut deberet, quum omnes aliæ tacitæ hypo-

C

thecæ

theœ per leges constitutæ sunt, sed bene distinguen-
dum inter jus retentionis & jus pignoris puto, cum
fatis constet, jus retentionis proprie pignus non esse
l. 33. inf. de cond. in deb. l. 2. ff. ad J. C. Trebell. sed
aliquid pignori simili & quasi pignus *l. 13. s. 8. ff.*
de rat. empt. & l. 11. §. 1. ff. de pig. & eatenus illi mer-
ces salvas pro jaetus contributione pignoris jure esse
putem donec eas retinuerit quomodo intelligenda
l. 5. ff. ad exhib. sed amissa earum possessione extin-
gui, ut tantum actione in factum eas repetere aut jus
suum personali actione persequi poslit *arg. l. 11. §. 1.*
de pign. quod tamen, ut multa alia, de quibus nihil
certo jure cautum aut consuetudine receptum est,
prudentia mercatorum & nautarum maritimis negotiis
assuetorum committi solet, ut passim practici docent.

COROLLARIA.

- I. *Nemo invita altera parte & adversario non
consentiente contractui semel inito. renun-
ciare potest.*
- II. *Qui ob refectionem navis pecuniam credidit
illi non competit tacita hypotheca.*
- III. *Aliud pro alio invito creditor i solvi nequit.*
- IV. *Pactum avlaxē & potest excedere legitimum
usurarum modum.*
- V. *Solus princeps potest indicere fēias.*
- VI. *Emphētēsis est sua origine juris gentium.*

F I N I S.

Vir-

Virtutum atque Doctrinæ Laudibus inclyto

J U V E N I

JOHANNI à NEURENBERGH,

Sub Justitiâ Duce Strenue militanti.

I Divæ meruit Themidos quis verus A-
mator

Dicier, hoc tanto nomine dignus eris.
Dum tua facundè tractat prudentia leges,
Et rumpis validâ fortia tela manu.

Dum solvis legum, toto spectante *Lyceo*
Nodos difficiles, ambiguasque Strophas.

Infestis minime metuens te opponere telis
Plurima in hanc divam. Quæ jacit hostis atrox.
Hoc tibi nec satis est, desistere cogis eundem,
Et quia desperat vincere, victus abit.

Nec mirum, eximum fortuna præire magistrum.
Fecit, & ingenii subtilitate vales.

Indolis eximiæ specimen feliciter edis,
Dum causam veri non dubitanter agis.
Hanc modo tu Themidem sedulò & constanter A-
mato,

Semper, & ingenium nobile prode tuum.
Sic meritis condigna tuis monumenta dabuntur,
Debitaque ingenii clara Trophæa feres.
Sic Dea, quæ solio Jovis assidet, inclyta virgo.
Nubet perpetuo fædere sponsa tibi.
Surget perpetuo & vivet post funera virtus,
Gloriaque assiduo magna superflus erit.

Majora Conatus.

P. S.

A. D.

A D

Doctissimum ac Praestantissimum

D. JOHANNEM NEURENBERGH,

Cum summos in Utroque Jure honores insigni cum
applausu consequeretur.

 Elix, qui potuit legum dissolvere casus
Ambiguo, vulgo quique latere solent!
Novimus hi quanto decorentur semper
honore,

Qui juris studii dexteritate vigent.
Nec minus hosce sibi, quam cunctis vivere cernas:
Exoptat tales publica namque salus,
Quæ jus cuique suum cives tribuatur ut inter
Exposit, pariter fasque decusque regat.
Ast ubi justitiae vigeat vel juris imago
Judex justitiae cum nihil ipse sciat?
Aut bene qui poterit miserorum jura patronus

Tutari, qui non jus quoque doctus erit?
Si rogites quis sit, qui tantis hisce valeret?
Aspice! sufficiens ille Johannis adest
Civibus (hic judex si sit) non sanctius ullus
Justitiam tribuat, quam Themidis soboles
Fidius ac nunquam quis protegat hōcce clientes,
Sinceri qui animi lucida signa dedit.

Hinc merito tibi Neurenberge daturus Apollo
Laurum, doctorum, quæ solet esse decus.
Ecce Astrea venit jam delatura triumphos,
Quos semper gnatis arrogat illa suis.
Nec modo dum vives splendebis frondibus illis
Si tantum studiis pergis amice tuis.
Sed tua post cineres remanebit fama perennis
Æternumque tibi nomen ad astra feres.

CA

J. D. V.